



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 102. Ad temperandam ejus auctoritatem regiminis consortes ab  
Archiduce adjuncti

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

§. CII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1516.

*Ad temperandam ejus auctoritatem  
regiminis confortes ab Archi-  
duce adjuncti.*

Tandem ipsemet Archidux Ximenii Cardinalis auctoritatem plus æquo prævalere veritus, eidem quemdam Nobilis Flandrum, *La Chau* nomine, adjunxit. Hic inter Caroli Proceres tam auctoritate, quam rerum gerendarum dexteritate Adriano longe superior, perbenigne quidem recipiebatur, nihilo tamen minus mutata est negotiorum facies, quod adhuc Ximenius eadem omnino auctoritate rerum summam moderaretur. Tertius ergo illi aggregabatur Regimini consors Amerstoffius, ex illustrissima Hollandiæ familia ortus, Vir constantis animi, audax, ac Ximenio Rectori obfistere paratus. Cardinalis hunc non minori benevolentiae significatione ac Flandrum excepit, atque ambos velut administrationis suæ socios ad Senatum conduxit; ipse tamen pro summo imperio dominatum tenebat: quo circa Cheuriensis potestatem Ximenii arctioribus limitibus circumscribendi medium Archiduci suggescit, eidem suadens, ut viante adhucdum Regina Matre sua, cum illa nec mente sana, nec regimini idonea

Sæcul. XVI nea esset, Regium Castellæ & Arrago-  
 A. C. 1516. niæ nomen assumeret. Ast Consilium  
 hoc erat periculis plenum, quippe Regni  
 Status id unquam permisuros vix spe-  
 rare poterat, ac ex tribus etiam Ordin-  
 ibus nulli sua singularis deerat oblu-  
 cendi ratio; verebantur enim Clerici, ne  
 Carolus supremos Magistratus Ordinum  
**S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ** ad  
 statum profanum reduceret; Nobiles au-  
 tem dolebant auctoritatem regnante  
 Ferdinando amissam, ac omnem spem sub  
 Joannæ Reginæ auspiciis eam recupe-  
 randi præcisam; denique pertimescebat  
 populus, ne Archidux non modo nova  
 vectigalia a suo Avo imposita haud tol-  
 leret, sed graviora etiam ad ampla, quæ  
 agitaret, confilia feliciter exequenda  
 imponeret. Ergo ad superanda tot ob-  
 stacula de opportuno cogitandum erat  
 remedio; nec aptius occurrebat, quam ut  
 Cardinalis Ximenii gratia Archiduci  
 conciliaretur.

### §. CIII.

*Archidux Castellæ & Arragoniæ Rex  
 proclamari studiosus.*

*Raynald. hoc Jamjam Carolus eo rem deduxerat,  
 ann. n. 43. ut a summo Pontifice, ac Cæsare Rex  
 salutaretur; Ambo enim, cum Archidu-  
 cem de Regis Catholici obitu comiter sola-  
 rentur,*